CONGRUA.

ARTICULUS PRIMUS.

Congrua quibus debeatur, & in primis quoad ea, quæ concernunt congruam Episcoporum, eorumque coadjutorum.

SUMMARIUM.

1 *Congrua debetur omnibus ecclesiarum Rectoribus curam animarum exercentibus, eorumque Vicariis, & coadjutoribus.*
2 *Congrua pro Episcopis taxata est in scutis mille, & pro Parochis in scutis centum.*
3 *Congrua taxata in mille scutis pro Episcopis, debet intelligi de moneta illarum partium, in quibus situs est episcopatus.*
4 *In regno tamen Neapolitano fuit taxata Episcopo in scutis 700.*
5 *Verum certa regula in hac materia præscribi nequit, sed totum remittitur prudenti Judicis arbitrio in congrua taxanda.*
6 *In quo arbitrio habenda est ratio de dignitate, & qualitate personæ.*
7 *De officialibus & familia.*
8 *De oneribus seminarii, manutentionis ecclesiæ, palatii, itineris ad sacra limina, eleemosynarum, sustentationis litium circa immunitatem ecclesiæ, & de similibus.*
9 *Et demum de consuetudine regionis.*
10 *Episcopo petenti sibi condecentia alimenta denegari non potest congrua.*
11 *Etiamsi debeat aliunde, adhuc debet consequi congruam ex fructibus ecclesiæ.*
12 *Etiamsi Episcopus acceptaverit episcopatum nimis tenuem, aut nimis gravatum pensione.*
13 *Etiamsi Episcopus consenserit, & se obligaverit ad pensionem.*
14 *Et talis congrua debetur ipsi Episcopo ex fructibus suæ ecclesiæ.*
15 *Et regulariter illam præstare debet, qui beneficii fructus recipit.*
16 *Et sic reservatarius beneficii tenetur Episcopo congruam præstare actione reali, & personali*, ad num. 19.
20 *Reservatarius dando schedulam solutionis congruæ Episcopo, censetur cum Episcopo contraxisse, & se ad solvendam illam annuatim obligasse.*
21 *Sic etiam Episcopis gravatis pensionibus assignari solent pro congrua mille duccati annui, de quibus securi jam redditi per schedulam mensariam, vel alio modo, coguntur relinquere pensionariis administrationem bonorum mensæ, seu alterius beneficii.*
22 *Episcopus in congrua non tenetur imputare redditus sui patrimonii, si reservationi pensionis non consensit, minusque de suo solvere se obligavit.*
23 *Secus vero, si Episcopus obligavit, & hypothecavit sua bona patrimonialia pro pensione.*
24 *Primo loco, & ante omnia alia onera episcopatus, est solvenda congrua Episcopo.*
25 *Maxime si in impositione onerum fuit addita clausula, demptis pro Episcopo scutis mille.*
26 *Ita ut consentientes huic decreto reservationis ad favorem Episcopi teneantur illud observare.*
27 *Et sic congrua est deducenda ante pensionem, ubi ea est solvenda*, usque ad n. 28.
29 *Episcopi loco congruæ, si indigeant, solent exigere charitativum subsidium, Episcopi tamen, qui habent congruam pinguem, non exigunt charitativum subsidium.*
30 *Episcopus adjutus debet præstare congruam Episcopo coadjutori, seu suffraganeo.*
31 *Et sic de facto Episcopo Amiciensi, coadjutori Archiepiscopi Alborensi in Sardinia, fuerunt assignata mille scuta annua monetæ romanæ*, usque ad n. 32.
33 *Si coadjutor, vel suffraganeus Episcopi est pauper, non potest congruam sibi in literis apostolicis assignatam remittere.*
34 *Præterea debet Episcopus adjutus dare suo coadjutori commoditatem habitationis in palatio episcopali, & omnia necessaria pro exercitio pontificalium, & aliis episcopalibus functionibus.*
35 *Novæ addit.* ad n. 36.

Congrua debetur omnibus ecclesiarum Rectoribus cu- 1
ram animarum exercentibus, eorum Vicariis & Coadju-
toribus; *cap.* De Monachis 12. *cap.* Cum secundum Apos-
tolum 16. *c.* Extirpandæ 30. *de præbend. cap. eod. in* 6.
cap. De Rectoribus 3. *de Clerico ægrotante*; Conc. Trid.
sess. 7. *cap.* 5. *sess.* 21. *cap.* 4. & *sess.* 24. *cap.* 13. *de*
reformat. ubi pro Episcopis taxata est congrua in scutis 2
mille, & pro Parochis in scutis centum, ibi: *Ad hæc*
imposterum, omnes hæ cathedrales ecclesiæ, quarum red-
ditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ sum-
mam ducatorum centum secundum verum annuum valorem
non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus
fructuum graventur.

Pro Episcopis igitur generaliter loquendo fuit à Tri- 3
dentino *cit. sess.* 24. *cap.* 13. Congrua taxata in scutis
mille de moneta illarum partium, in quibus situs est Epis-
copatus; Rota *part.* 2. *recent. decis.* 352. *n.* 5. *decis.* 449.
n. 6. *cum sequent.* & *decis.* 762. *num.* 1. *cum sequent.* &
part. 18. *tom.* 1. *decis.* 389. *n.* 18. *cum sequent.* In regno 4
tamen Neapolitano fuit taxata Episcopo in scutis 700.
Rota *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 352. *n.* 2. Verum certa re- 5
gula in hac materia præscribi nequit, sed totum remit-
titur prudenti Judicis arbitrio in congrua taxanda; Ro-
ta *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 351. *num.* 3. *cum sequent.* &
decis. 389. *num.* 21. In quo arbitrio habenda est ratio de 6
dignitate, & qualitate personæ; Rota *p.* 18. *tom.* 1. *de-*
cis. 351. *num.* 3. *cum sequent.* De officialibus, & fami- 7
lia; Rota *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 23. *num.* 10. *cum sequent.*
De oneribus seminarii, manutentionis ecclesiæ, palatii, 8
itineris ad sacra limina, eleemosynarum, sustentationis
litium circa immunitatem ecclesiæ, & de similibus; Ro-
ta *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 23. *n.* 11. *cum seq.* & *dec.* 380.
n. 19. *cum sequent.* Et demum de consuetudine regionis; 9
Rota *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 351. *n.* 4.

Episcopo petenti sibi condecentia alimenta denegari 10
non potest congrua, quæ loco alimentorum succedit, ex
qua ipse ali, ejus familia nutriri, & episcopatus majestas
præservari debet; *cap.* De Monachis 12. *cap.* Cum se-
cundum Apostolum 16. *cap.* Extirpandæ 30. *de præbend.*
& *cap.* 1. *eod. tit.* 6. Rota *part.* 18. *tom.* 1. *dec.* 23. *n.* 1.
& *decis.* 389. *num.* 1. & *sequent.* Etiamsi habeat aliun- 11
de, adhuc debet consequi congruam ex fructibus ec
clesiæ, quia congrua datur in remunerationem ponderis
diei, & æstus, quod suffert Episcopus, aut Rector in
regimine animarum, unde non cogitur proprio stipendio
militare; *ex prima ad Corinth. cap.* 9. cum dignus sit
operarius mercede sua, *cap.* Quicumque 66. & *cap.* Ec-
clesiasticis 67. *caus.* 12. *quæst.* 2. Rota *part.* 18. *tom.* 1.
decis. 23. *n.* 5. *cum sequent.* & *decis.* 315. *n.* 7. *cum se-*
quent. Etiamsi Episcopus acceptaverit episcopatum nimis 12
tenuem, aut nimis gravatum pensione; quia non inde re-
pelli debet à consecutione congruæ, quæ est privilegium
ordinis elargitum à Jure, ne Episcopi, aut Rectores
in opprobrium dignitatis mendicent, aut curam commis-
si sibi gregis deserant, ut declarando dixit Rota *part.* 1.
decis. 420. *num.* 4. & *part.* 2. *recent. decis.* 449. *nu-*
mer. 5. *partit.* 18. *tom.* 1. *decis.* 23. *numer.* 13. Etiamsi
Episcopus consenserit, & se obligaverit ad pensionem.
Non enim talis præstitus consensus, sive tacite, sive ex- 13
presse, est sufficiens ad impediendam hanc congruæ assig-
nationem, eo quo non potest oriri ipsi Episcopo aliquod
præjudicium ab hujusmodi acceptatione, & consensu,
quia non habet privilegium ad sui favorem tantum con-
cessum, sed illud toti ordini & dignitati clericali fuit
impertitum, & ideo ne propter mendicitatem & egesta-
tem

tem à suis diœcesanis contemnatur, quorum veneratio ip-
si pura & incorrupta præservari debet, & ne impedia-
tur animarum curæ vigilare, nec tacitus, nec expressus
consensus ad hunc effectum in aliqua consideratione ha-
beri debet; Rota *part.* 1. *recent. dec.* 420. *num.* 5. *p.* 18.
tom. 1. *decis.* 23. *n.* 14. *dec.* 351. *n.* 10. *cum sequent.* &
dec. 389. *n.* 25. Vide etiam Josephum Maraviglia, *l.* 194.
prudentiæ episcop. ubi mordicus hanc opinionem defendit.
14 Et talis congrua debetur ipsi Episcopo ex fructibus
suæ ecclesiæ; Rota *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 351. *num.* 1.
15 Et regulariter illam præstare debet, qui beneficii fructus
recipit; *cap.* De Monachis, *cap.* Avaritiæ, *cap.* Extirpan-
dæ, & *cap.* In Lateranensi, *de præbend. cap.* Sicut, *de*
supplend. neglig. prælator. Rota *part.* 3. *recent. dec.* 745.
16 *n.* 1. Et sic Reservatarius beneficii tenetur Episcopo con-
gruam præstare actione reali & personali; Rota *dict.*
17 *decis.* 745. *n.* 2. Reali, quia fructus pro congrua semper
hypothecati remanent, in quemcumque transeant; Rota
in Pampilon. Jurispatronatus de Gonzaga 30. *Jan.* 1609.
coram Reverendiss. Bononien. & *dict. decis.* 745. *num.* 2.
18 Personali vero, cum etiam conditionis ex lege de fructi-
bus perceptis congrua debeatur; cujus conditionis vi-
gore personalis actio contra quemcumque possessorem
19 competit; §. Sic itaque, discretis autem, *vers.* Appella-
mus, *de institut. action.* Et præsertim contra possidentem
fructus, & qui alimentorum loco, qualis est congrua,
20 succedunt; *leg.* Lucius, *ff. de aliment.* & *cib. leg.* Rota
dict. decis. 745. *n.* 2. & 5. Reservatarius enim dando
schedulam solutionis congruæ Episcopo, censetur cum
Episcopo contraxisse, & se ad solvendam illam annua-
tim obligasse; *dict. leg.* Lucius, *ff. de alim.* Rota *in una*
Toletana pensionis, Decembris 1603. *cor. Justo*; & *p.* 3.
21 *recent. decis.* 745. *n.* 4. Sic etiam Episcopis gravatis pen-
sionibus assignari solent pro congrua mille ducati an-
nui, de quibus securi jam redditi per schedulam mensa-
riam, vel alio modo, coguntur relinquere pensionariis
administrationem bonorum mensæ, seu alterius benefi-
cii; Sacr. Cong. Episcop. & Regul. *in Aleriens.* 25.
Januar. 1658. & 29. *Mart.* & 24. *Maji ejusd. anni*, apud
Pignatell. *tom.* 4. *consult.* 127. *n.* 5.
22 Episcopus in congruam non tenetur imputare reddi-
tus sui patrimonii, si reservationi pensionis non consensit,
minusque de suo solvere se obligavit. Licèt enim Epis-
copus pingue patrimonium possideat, non tamen per hoc
congrua beneficii venit spoliandus, quæ numquam de-
negatur, cum illa soleat assignari in recompensationem
laborum, quibus subjacent illi, qui indefessis vigiliis cu-
ræ animarum præsunt, qui enim servit altari, de altari
vivere debet; *cap.* Cum secundum Apostolum 16. *de præ-*
bend. & *cap.* Clerici omnes 10. *caus.* 1. *quæst.* 2. Rota
part. 10. *tom.* 1. *decis.* 23. *n.* 4. *decis.* 389. *n.* 3. *cum se-*
23 *quent.* Secus vero si Episcopus obligavit, & hypotheca-
vit sua bona patrimonialia pro pensione; Rota *in una*
S. Severini congruæ 22. *Junii* 1665. §. Onera *coram*
D. Ottalora Præside Granaten. & *dicti partit.* 18. *tom.* 1.
24 *decis.* 389. *n.* 2. Primo loco, & ante omnia alia onera
episcopatus est solvenda congrua Episcopo; Rota *p.* 1.
recent. decis. 762. *n.* 1. *cum sequent.* & *part.* 18. *tom.* 1.
25 *decis.* 351. *n.* 6. Maxime si in impositione onerum fuit
addita clausula, *demptis pro Episcopo scutis mille*; *dict.*
26 *decis.* 763. *n.* 1. *in fine.* Ita ut consentientes huic decreto
reservationis ad favorem Episcopi, tenentur illud obser-
27 vare; *dict. decis.* 763. *n.* 2. Et sic congrua est deducen-
da ante pensionem, ubi ea est solvenda; Rota *part.* 2.
28 *recent. decis.* 451. *n.* 5. Cum Episcopi, deductis prius
impensis culturæ pro credito congruæ, uti potiores præ-
ferendi sint Pensionariis, qui uti creditores fructuum,
ex illis solùm satisfieri debent; Rota *in dec. S. Severini*
29 *congruæ* 22. *Junii* 1665. *cor. Ottalora*, §. Neque revelata
in fin. & *part.* 2. *recent dec.* 763. *n.* 1. & *part.* 18. *t.* 1.
dec. 389. Episcopi loco congruæ, si indigeant, solent
exigere charitativum subsidium. Episcopi tamen, qui
habent congruam pinguem, quæ excedat taxam à Con-
cilio præscriptam, non exigunt charitativum subsidium;
Sacr. Congr. Conc. *in Gerunden.* 17. *Februar.* 1663. &
Sac. Cong. Episcop. *in Policastren.* 19. *April.* 1697.
30 Episcopus adjutus debet præstare congruam Episco-
po Coadjutori, seu Suffraganeo; Coadjutor enim debet
recipere congruam portionem de proventibus ecclesiæ,
seu beneficii, cujus Prælato datus est; *arg. cap.* De Rec-
toribus 3. *de Clerico ægrot.* ibi: *De facultatibus eccle-*
siæ ad sustentationem suam congruam recipiat portio-
nem; *cap.* Pastoralis *unic. de Clerico ægrot. in* 6. §. Præ-
senti, ibi: *Præsenti quoque adjicimus sanctioni, ut Co-*
adjutores hujusmodi de proventibus prælatorum, in quo-
rum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos.
Et de facto Episcopo Amiciensi Coadjutori Archiepisco- 31
pi Alborensis in Sardinia fuerunt assignata mille scuta
annua monetæ romanæ absque incertis, quæ cedere de-
berent Archiepiscopo; Sac. Cong. Episcop. & Regular.
in Orestana 18. *Novembris* 1639. & *die* 11. *Junii* 1568.
apud S. Petrum in Consistorio Sanctitas sua decrevit, 32
omnes pensiones assignatas Suffraganeis super fructibus
ecclesiarum, quibus præficiuntur, transire ad successo-
res, dummodo illis ecclesiis, quarum sunt suffraganei,
deserviant, aliàs censeantur extinctæ; suffraganei vero
deinceps dari non possint Archiepiscopis, etiam quibus
solent concedi, nisi pro eorum sustentatione assignentur
super fructibus ecclesiarum, quibus suffragari debent,
trecenti, vel saltem ducenti aurei de Camera. Si coad- 33
jutor, vel suffraganeus Episcopi est pauper, non potest
congruam sibi in literis apostolicis assignatam remittere;
Sac. Cong. Conc. 26. *Junii* 1621. Præterea debet Epis- 34
copus adjutus dare suo coadjutori commoditatem habi-
tationis in palatio episcopali, & omnia necessaria pro
exercitio pontificalium, & aliis episcopalibus functioni-
bus; Sac. Cong. Episcop. *in Nicoteren.* 26. *Junii* 1619.

☞ Utri, pensionario ne, an Episcopo incumbat onus 35
probandi quod Episcopo remaneant scuta mille pro con-
grua, non incongrue hic quæritur. Invaluit distinctio, 36
quod si pensionarius agit in judicio possessorio, Episco-
po onus incumbit probandi quod ipsi non remaneant scu-
ta mille pro congrua; quum possessio relevet ab onere
probandi, nec qui est in possessione tenetur exprimere
causam suæ possessionis. Quod si Episcopus agit contra
pensionarium in petitorio judicio dicens se non teneri ad
pensionem eo quia reservatio utilitate laborat, onus pro-
bandi quod mille pro congrua remaneant Episcopo in-
cumbit pensionario, quia cum agatur de jure percipien-
di pensionem, causa exprimi debet ab eo, qui ipsam sibi
deberi asserit. Confer Barbos. *de offic.* & *potest. Episcop.*
allegat. 120. *n.* 14. Rotam *in magistrali decis.* 196. *per*
totum coram Mantic. ☜

ARTICULUS II.

Quoad ea, quæ concernunt congruam parochorum, eorumque Vicariorum.

SUMMARIUM.

1 *Congrua debetur parochis & curatis.*
2 *Hæc congrua parochis & curatis debita generaliter loquendo, taxatur in scutis centum.*
3 *Et ubi aliter non fuerit à Papa expressum, intelligitur de moneta loci beneficii.*
4 *Congrua non debet ordinarie taxari major dictis scutis centum; nec minor scutis 50. annuis.*
5 *In hac tamen materia non potest assignari certa regula, sed taxatio remittitur arbitrio Judicis.*
6 *Quandoque enim fuit taxata in scutis centum auri, & quandoque etiam plus.*
7 *Generaliter loquendo taxanda est congrua, quæ sit sufficiens ad commodam, & honestam sustentationem personæ, habita ratione de loco, fructuum quantitate, & onerum, qualitate personæ, & similibus.*
8 *In congrua taxanda debet haberi etiam ratio de numero excessivo animarum, ad quorum curam sit necesse coadjutores etiam habere.*
9 *Sic etiam de constitutionibus synodalibus provinciarum.*
10 *Et potissimum de consuetudine regionis.*
11 *Licèt in taxatione congruæ pro parochis, seu cura-*
tis

tis possint ab Episcopo considerari, & comprehendi emolumenta incerta, hoc tamen debet intelligi de incertis, quæ habent aliquam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, aliique fructus, & emolumenta incerta solum ratione summæ, & quantitatis.

12 *Non autem debet intelligi de emolumentis omnino incertis, ut sunt redditus, seu fructus consistentes in funeribus, oblationibus nuptialibus, eleemosynis altaris, & similibus.*

13 *Nisi de consuetudine loci aliter introductum doceatur.*

14 *Congrua debetur loco alimentorum; unde repugnat ipsam congruam dependere ab incerto eventu,* usque ad n. 15.

16 *Nec in congruam sunt imputanda, quæ debentur parocho ratione laboris & servitii.*

17 *Nec quæ extra ecclesiam, vel extra curam ipsam animarum percipiuntur.*

18 *Neque sunt imputandi in congruam parochi fructus sui patrimonii, si reservationi pensionis non consensit.*

19 *Secus vero si in reservatione pensionis sua bona obligationi, & hypothecæ supposuit.*

20 *Congrua debetur parocho, etiamsi beneficium tenue acceptavit non sufficiens*, ad n. 23.

24 *Congrua taliter sufficiens debetur parocho, ut ea commode sustentari possit.*

25 *Et congrua ab Episcopo assignata præsumitur sufficiens, nisi probetur diminuta.*

26 *Præsertim, si illa fuerit sufficiens pro aliis Rectoribus antecessoribus.*

27 *Unde congrua semel assignata non debet amplius assignari, vel augeri; sicuti non potest amplius diminui*, usque ad n. 28.

29 *Congrua semel constituta non potest regulariter immutari, nisi ex causa.*

30 *Hinc parochus petens augmentum congruæ debet probare assignatam non esse sufficientem, & paupertatem esse superventam.*

31 *In tali casu parochus non potest, nisi ad supplementum agere, & Episcopus debet prius arbitrari circa redditus ecclesiæ, si sufficiant, & postea in subsidium cogere populum, vel alio modo providere.*

32 *Si congrua fuerit sufficiens tempore reservationis pensionis, quoties ex post diminuatur, augenda est de fructibus ejusdem pensionis.*

33 *Parochi pro consequendo congruæ credito præferendi sunt, deductis prius expensis culturæ, pensionariis.*

34 *Vicariis perpetuis debet assignari congrua portio de redditibus, fructibus, emolumentis, & proventibus ecclesiæ incorporatæ monasterio, collegio &c.*

35 *Talis congrua est taxanda arbitrio Episcopi habito respectu ad qualitatem personæ, loci, & ad abundantiam, seu paupertatem fructuum, & redditum ecclesiæ: dummodo non sit minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno.*

36 *Pro congrua assignari possunt solum illa emolumenta incerta, quæ habent quamdam certitudinem, ut sunt decimæ vini, frumenti &c. Non autem emolumenta omnino incerta, ut sunt funeralia &c. ut fuit dictum supra n. 11. & sequent.*

37 *Et sic censuit etiam Sacr. Congregat. Concil.*

38 *Congruam certam debet habere Curatus, seu Vicarius substitutus, quamvis amovibilis.*

39 *Congrua semel sufficienter assignata Curato, seu Vicario, nisi superveniat notabilis mutatio, & intersit nova rationabilis causa; non est locus assignationi novæ congruæ, seu augmento.*

40 *Nec potest minui, quamvis Curatus electus & deputatus diminutioni consentiat, & pro minori quantitate spondeat deservire*, ad n. 41.

42 *Congrua Curato, seu Vicario non taxata, vel insufficiens assignata, si petatur, debetur in quantitate prout juris est, à die petitionis, seu motæ litis.*

43 *Alia ad rem*, remissive.

44 *Novæ addit.* ad n. 49.

Congrua debetur parochis, seu curatis nedum de jure 1
communi, *cap.* De Monachis 12. *cap.* Cum secundum
Apostolum 16. *cap.* Extirpandæ 30. *de præbend. cap.* 1.
eod. in 6. *cum concordant.* sed etiam ex Concil. Trident.
sess. 21. *cap.* 4. *de reform. & constit. S. Pii V. incip.*
Ad exequendum:: Rota *part.* 3. *recent. decis.* 392. *n.* 2.
& part. 16. *decis.* 316. *num.* 4. Et hæc congrua parochis 2
& curatis debita generaliter loquendo taxatur in scutis
centum non solum ab ipso Concilio Tridentino *sess.* 24.
cap. 13. *de reformat.* sed etiam à S. Pio V. *in dict. constit. incip.* Ad exequendum :: Rota *part.* 18. *tom.* 1. *recent. decis.* 374. *num.* 2. *& part.* 19. *tom.* 2. *decis.* 112.
num. 4. Et ubi aliter non fuerit à Papa expressum intel- 3
ligitur de moneta loci beneficii; Rota *part.* 17. *dec.* 245.
num. 29. & 30. Congrua non debet ordinarie taxari ma- 4
jor dictis scutis centum, nec minor scutis 50. annuis.
S. Pius V. *in dict. constit. incip.* Ad exequendum :: Rota
part. 6. *decis.* 230. *num.* 2. *& part.* 8. *decis.* 246. *n.* 10.
In hac tamen materia non potest assignari certa regula 5
sed hujus taxatio remittitur arbitrio Judicis; Rota *p.* 13.
recent. decis. 392. *num.* 12. *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 389.
num. 21. *part.* 19. *tom.* 1. *decis.* 1. *num.* 5. *decis.* 112.
num. 6. *decis.* 206. *num.* 13. Quandoque enim fuit taxa- 6
ta in scutis centum auri, & quandoque etiam plus. Rota
part. 19. *tom.* 1. *decis.* 112. *num.* 7. Unde generaliter lo- 7
quendo taxanda est congrua, quæ sit sufficiens ad commodam, & honestam sustentationem personæ, habita ratione de loco, fructuum quantitate, & onerum, qualitate personæ, & similibus; Rota *part.* 4. *tom.* 1. *dec.* 595.
num. 1. *part.* 6. *decis.* 220. *num.* 11. *part.* 8. *decis.* 246.
num. 11. *part.* 14. *decis.* 439. *num.* 7. *part.* 19. *tom.* 1.
decis. 1. *num.* 4. *decis.* 206. *num.* 13. *decis.* 281. *num.* 1.
In congrua taxanda debet haberi etiam ratio de numero 8
excessivo animarum, ad quarum curam sit necesse Coadjutores etiam habere; Rota *part.* 1. *recent. decis.* 420.
n. 9. & 10. *part.* 19. *tom.* 1. *decis.* 1. *num.* 4. Sic etiam 9
de constitutionibus synodalibus provinciarum; Rot.
part. 14. *decis.* 439. *num.* 8. Et potissimum de consuetu- 10
dine regionis, cui plurimum est deferendum; Rota *partit.* 4. *tom.* 1. *decis.* 595. *n.* 6. *part.* 18. *tom.* 1. *dec.* 351.
num. 4.

Licèt in taxatione, & assignatione congruæ pro pa- 11
rochis & curatis possint ab Episcopo considerari, & comprehendi emolumenta incerta, ut habetur *in dict. constitut. S. Pii V. incip.* Ad exequendum :: Hoc tamen debet
intelligi de incertis, quæ habent aliquam certitudinem;
ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, aliique fructus, &
emolumenta incerta solum ratione summæ, & quantitatis; ipsa enim omnia comprehenduntur in congrua taxanda; Rota *part.* 6. *decis.* 230. *num.* 5. *part.* 13. *dec.* 392.
num. 8. *part* 19. *tom.* 1. *decis.* 1. *num.* 11. Non autem 12
debet intelligi de emolumentis omnino incertis, ut sunt
redditus, seu fructus consistentes in funeralibus, oblationibus nuptialibus, eleemosynis altaris, & similibus, qui
redditus cum sint de omnino incertis, non sunt imputandi in congruam; Rota *part.* 1. *decis.* 420. *num.* 2. *p.* 6.
decis. 230. *num.* 4. *part.* 11. *decis.* 347. *num.* 8. *p.* 19.
decis. 1. *num.* 9. *cum sequent.* Nisi de consuetudine loci 13
aliter introductum doceatur; Rota *part.* 19. *tom.* 1. *dec.*
num. 10. Congrua enim debetur loco alimentorum; Rota *part.* 6. *decis.* 230. *num.* 5. *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 351,
num. 5. *decis.* 389. *num.* 1. *decis.* 400. *num.* 8. Unde 14
repugnat ipsam congruam dependere ab incerto even- 15
tu, cum venter non patiatur dilationem; Rota *part.* 1.
decis. 420. *num.* 2. *part.* 6. *decis.* 230. *num.* 5. *part.* 17.
decis. 41. *num.* 14. *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 130. *num.* 9.
& tom. 2. *ejusd. part. decis.* 411. *num.* 7. Nec in con- 16
gruam sunt imputanda, quæ debentur parocho ratione
laboris, & servitii; Rota *part.* 13. *decis.* 347. *num.* 8.
Nec quæ extra ecclesiam, vel extra curam ipsam anima- 17
rum percipiuntur, quia ista non sunt fructus beneficii,
sed merces, & præmium laboris tantum inservienti debita; Rota *part.* 12. *decis.* 546. *num.* 9. Neque sunt impu- 18
tandi in congruam parochi fructus sui patrimonii, si reservationi pensionis non consensit, cum nemo cogatur
propriis stipendiis militare, ex prima *ad Corinth. cap.* 9.
&

& dignus sit operarius mercede sua; *c.* Quicumque 66.
de præbend. Rota *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 23. *num.* 4. &
19 *decis.* 389. *num.* 3. Secus vero si in reservatione pensionis sua bona obligationi, & hypothecæ supposuit, quæ
operatur ut sint imputandi in congruam singuli redditus
patrimoniales; Rota *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 389. *num.* 2.
cum sequent.

20 Congrua debetur Parocho, etiamsi beneficium tenue acceptaverit non sufficiens pro sustentatione necessaria; Rota *part.* 1. *decis.* 420. *num.* 4. *& part.* 6. *de-*
21 *cis.* 230. *n.* 6. Quidquid dicant alii in hoccasu Parochum
non esse audiendum, cum sibi imputare debeat, si acceptavit beneficium nimis tenue; Rota *part.* 2. *recent.*
22 *decis.* 7. *n.* 3. *& decis.* 239. *n.* 1. Quia non militat talis
ratio, ubi certe apparet insufficiens, cum agatur de
præjudicio ordinis clericalis, & ecclesiæ; Rota *part.* 13.
decis. 437. *n.* 3. *part.* 6. *decis.* 230. *n.* 7. *& seq. part.* 13.
23 *decis.* 347. *n.* 11. *part.* 19. *t.* 1. *decis.* 1. *n.* 14. Non enim
potest oriri ipsi Parocho aliquod præjudicium ab hujusmodi acceptatione, quia non habet privilegium ad sui
favorem tantum concessum; sed illud toti ordini, &
dignitati clericali fuit impertitum, ne Rectores animarum in opprobrium dignitatis mendicent, aut curam
commissi sibi gregis deserant, ut declarando dixit Rota
part. 1. *decis.* 420. *n.* 4. *& part.* 2. *recent. decis.* 449.
24 *n.* 5. *& part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 23. *n.* 13. Congrua enim
taliter sufficiens debetur Parocho, ut ea commode sus-
25 tentari possit; Rota *part.* 13. *decis.* 347. *n.* 2. & 6. Et
Congrua ab Episcopo assignata præsumitur sufficiens,
nisi probetur diminuta; Rota *part.* 9. *tom.* 1. *dec.* 222.
26 *n.* 15. *& part.* 13. *decis.* 347. *n.* 4. Præsertim si illa
fuerit sufficiens pro aliis Rectoribus antecessoribus, qui
per longissimum tempus ea contenti fuerunt; Rota
part. 13. *decis.* 48. *num.* 11. *cum seq. & part.* 18. *tom.* 1.
27 *decis.* 218. *num.* 10. Unde congrua semel assignata,
non debet amplius assignari, vel augeri; Rota *part.* 2.
decis. 329. *num.* 1. *& part.* 13. *decis.* 48. *num.* 2. Sicuti
non potest amplius diminui; Rota *part.* 18. *tom.* 1.
28 *decis.* 81. *num.* 50. Cum semel constituta congrua non
possit regulariter immutari, nisi ex causa; Rota *part.* 18.
29 *tom.* 1. *decis.* 218. *num.* 6. & 7. Hinc Parochus petens
30 congruæ augmentum debet probare assignatam non esse sufficientem; & consequenter debet probare paupertatem esse superventam; Rota *part.* 4. *tom.* 1. *dec.* 595.
31 *num* 1. *part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 218. *num.* 11. & 24. In
tali casu Parochus non potest nisi ad supplementum
agere, & Episcopus debet prius arbitrari circa redditus
ecclesiæ, si sufficiant, & postea in subsidium cogere
populum, vel alio modo providere; Rota *part.* 2. *t.* 1.
32 *decis.* 595. *tom.* 1. *cum seq.* Sacr. Congr. Episcop. & Regul. *in Interamnen.* 27. *Martii* 1601. & 18. *Junii* 1602.
& 18. *Martii* 1603. Si congrua fuerit sufficiens tempore
reservationis pensionis, quoties ex post diminuatur,
augenda est de fructibus ipsius pensionis; Rota *part.* 17.
33 *decis.* 120. *num.* 29. Parochi enim pro consequendo
congruæ credito, præferendi sunt, deductis prius impensis culturæ, pensionariis; Rota *part.* 18. *tom.* 1.
decis. 389. *n.* 17.

34 Vicariis perpetuis debet assignari congrua portio de
redditibus, fructibus, emolumentis, & proventibus ecclesiæ incorporatæ monasterio, collegio, capitulo, universitati, & hujusmodi; *cap.* De Monachis 12. *cap.* Extirpandæ 30. *de præbend. & cap.* 1. *eod. in* 6. Conc. Tridentin. *sess.* 7. *cap.* 5. *& cap.* 7. *de reform.* S. Pius V. *in*
35 *constit. incip.* Ad exequendum :: Talis congrua est taxanda, & assignanda arbitrio Episcopi habito respectu
ad qualitatem personæ, & loci, & temporis, & ad abundantiam, seu paupertatem fructuum, & reddituum ecclesiæ, dummodo non sit minor quinquaginta, nec major centum aureis pro quolibet anno; *ex cit. constit. S. Pii V. incip.* Ad exequendum :: ubi §. 2. Episcopis expresse præcipit, in assignatione portionis Vicariis perpetuis ita se continere, & arbitrari, ut non major centum,
nec minor quinquaginta scutorum aureorum summa,
computatis omnibus, etiam incertis emolumentis, & aliis
obventionibus communiter percipi solitis, eis omnino assignetur; & sic etiam S. C. Conc. *in Asten.* 28. *Octobris* 1585. & Rota *part.* 6. *recent. decis.* 230. *n.* 2. Ubi 36
sub n. 3. *& sequent.* subjunxit, quod pro emolumentis
incertis sunt intelligenda solum ea, quæ habent quamdam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei,
aliique fructus, & emolumenta, & obventiones, quæ penes Vicarium sunt incertæ respectu summæ, & quantitatis, quam ex illis percipere possit. Non autem sunt intelligenda emolumenta omnino incerta, ut sunt eleemosynæ
altaris, funeralium, & similium, quia ista non computantur in congruam, quia venter non debet pendere ab
incerto, cum venter non patiatur dilationem; Vide supra *à n.* 11. *usque ad n.* 17. Et sic etiam censuit Sacra 37
Congr. Concil. *in Insernien.* 20. *Aprilis* 1697. ubi proposito dubio: *An in congrua Canonici curati imputari debeant distributiones quotidianæ, quæ dantur ratione servitii personalis, & interessentiæ, necnon cetera emolumenta parochialia expressa in sententia Episcopi?* Sacr. Congr.
respondit, *affirmative quoad distributiones; & quoad expressa in sententia Episcopi, negative.* In sententia
autem Episcopi expressum sic erat: *Computatis tamen in eadem congrua fructibus præbendæ, omnibus etiam incertis, & aliis obventionibus percipi solitis.*

Congruam certam debet habere curatus, seu Vica- 38
rius substitutus ad formam dictæ constitutionis S. Pii V.
incip. Ad exequendum :: quamvis sit amovibilis, ut declaravit Sac. Cong. Visitationis apostolicæ *in Fanens.* 25.
Novembris 1693. Congrua semel sufficienter assignata 39
curato, seu Vicario, nisi superveniat notabilis mutatio, & intersit nova rationabilis causa, non est locus
assignationi novæ congruæ, seu augmento; Rota *decis.* 18. *tom.* 1. *decis.* 218. *num.* 6. & 7. & Sacra Congregatio Episcop. & Regul. *in una Consent. congruæ* 31.
Julii 1693. Nec potest minui, quamvis curatus electus, 40
& pro minori quantitate spondeat deservire, quia hujusmodi pactio sapit simoniam; Sacr. enim Congr. super
statu Regularium *sub die* 6. *Octobris* 1670. expresse declaravit, quod superioribus regularibus minime fas sit
cum ipsis Vicariis jam deputatis, seu deinceps deputandis, publicas, aut secretas pactiones, seu conventiones
inire super diminutione, aut alteratione, seu variatione,
congruæ, easque pactiones, seu conventiones dictas
tamquam de simoniaca labe, atque avaritia suspectas Sacr. Congr. omnino rejicit, atque interdicit, eosque, qui
contrafecerint, pœnis adversus simoniacos editis teneri
decrevit, quibuscumque non obstantibus; sic refert Pignatell. *tom.* 3. *consult.* 31. *num.* 1. *in fin.* Et hujusmodi 41
pactio fuit iterum damnata à Sac. Cong. Conc. *in una Burgi sancti sepulchri congruæ* 5. *Septembris* 1699. in
qua contra Monachos Camaldulenses fuit additum: *Et Monachi se justificent supra asserta simonia coram Sacra Congregatione.* Congrua autem curato, seu Vicario 42
non taxata, vel insufficiens assignata, si petatur, debetur in quantitate prout juris est à die petitionis, seu motæ litis, ut respondit Sacra Congregatio Episcoporum
in civitatis plebis 17. *Septembris* 1695. & Sac. Congreg.
Conc. *in Iserniens.* 20. *Aprilis* 1697. *in responsione ad tertium.* ✪

Alia

✪ Patet omnibus, certam congruam præscribi non valere: nam pro qualitate territorii consideranda, & arbitrio Episcopi ejus taxa assignanda veniet, adeo ut Clerico sacro Ordine insignito, victus sufficiens, decens præbeatur; ideo jam antiquis temporibus Regum nostrorum desiderium, sicut in præsenti, summopere curavit (1) ne emen-

(1) *Auct. Acord.* 4. *tit.* 1. *lib.* 4. §. 28. Que por quanto la mayor causa de la relajacion del estado eclesiástico secular, y crecido número de eclesiásticos, nace de la multitud de capellanias que hay en estos reynos, cuyas rentas por la calamidad de los tiempos se han extenuado; de modo, que los mas que se han ordenado á titu-

43 Alia vide *verb.* Vicarius parochialis *à n.* 10. *ad n.* 14.

44 ☞ De eo ſæpe diſputari ſolet, an parochus, qui vel interitum vel diminutionem paſſus eſt redditṳum parochialium, agere vel pro congrua, vel pro ejus ſupplemento valeat adverſus illos, qui decimas, vel alia bona parochiæ poſſident. Affirmant *ex text. in cap.* De Monachis, *de præbend.* Wames. *conſil. canon.* 172. *num.* 13. Gratian. *diſcept. forens. cap.* 366. *num.* 2. *& ſeq.* Loter. *de re benefic. lib.* 2. *quæſt.* 11. *num.* 27. *& ſequent.* Rota *in Leodienſ. congruæ*, 27. *Januarii* 1716. §. 2. *coram bon. mem. Cerr. & in Toletana decimarum de Capilla ſuper congrua* 9. *Decembris* 1702. §. Quo vero, *cor. bon. memor. Foſcar. & in Theleſina congruæ* 18. *Jun.* 1731. §. Et in his, *cor. Eminentiſs. Rezzonic.*

45 Idque adeo verum eſt, ut nec centenaria, nec immemorabilis à decimatoribus allegati valeat contra parochum, qui ex immutato rerum ſtatu deficientem ſibi congruam aſſignari petit ex decimis, vel aliis parochiæ bonis, ut proſequitur, Rota *in dict. Toletana decimarum de capilla ſuper congrua* 9. *Decembris* 1720. §. Quoad immemorabilem, *cor. bon. mem. Foſcaro.*

46 Alia autem hic oritur quæſtio, utrum plures poſſeſſores decimarum, vel aliorum bonorum parochiæ teneantur in ſolidum, an ſinguli pro rata? Laicos haud poſſe conveniri, ſi ſint eccleſiaſtici, qui pariter poſſiderent decimas, vel alia parochiæ bona, videtur firmare Rota *in Moguntina reparationis chori* 29. *Aprilis* 1748. §. 8. *& ſequent. cor. bon. mem. de Vais*, & 4. *Julii* 1746. §.
47 *coram Illuſtriſſimo Clemente*, in quibus deciſionibus licèt agatur de onere reparationis eccleſiæ, idem tamen obtinere debet quoad onus congruæ.

48 Eccleſiaſticos vero poſſe in ſolidum conveniri, ſalvo tamen ei, qui convenitur, jure agendi contra ceteros, tenet Porray *de congrua portione lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 19.

Nec ab hac negativa opinione alienum videtur Tribunal 49
Rotæ *in dict. Moguntina reparationis chori.* At Wames. *conſil. canon.* 453. *n.* 1. & 3. Louvrex *diſſert. canon.* 15. *num.* 50. Barboſa *de paroch. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 2. Chriſtin. *decis. Belgic. decis.* 24. *num.* 6. eadem Rota *in recent. decis.* 184. *num.* 17. & 19. *part.* 17. in ea ſunt ſententia, ut nonniſi pro rata teneantur.

Monet vero Louvrex *dict. diſſert. canon.* 15. *n.* 51. 50
quod ſi quis ſit decimator ſimul; & parochus primitivus, curam ſcilicet habitualem obtineat, is prius teneatur ad congruam, vel ad ſupplementum ipſius congruæ. *Tunc enim*, ait, *præſumendum eſt*, *portionem decimarum, quam parochus habitualis poſſidet, illam eſſe, quæ olim ante eccleſiæ unionem ad rectorem ſpectabat, & quæ proinde prius excutienda eſt, quàm contra alios decimatores agi poſſit.* Convenit etiam Van Eſpen *de congrua portione, cap.* 4. *n.* 9. ✠

An in libertate eorum, qui decimas, vel bona alia 51
parochiæ poſſident, ſit ea dimittere, ut ſe liberent ab onere congruæ: Et num id ipſum obtineat in parocho primitivo? Confer Louvrex *dict. diſſert. canon.* 15. *n.* 54. *& plur. ſequent.* ubi quod in ſubſidium tenentur parochiani ad congruam, vel ad ejus ſupplementum. ☞

(Omnia ùt majorem recordationem mereantur, recognoſcere eſt neceſſe *lit.* D. *ex pag. præcipue* 16. vide *ad p.* 86. *in novis. hisp. lit.* B. *p.* 304. *art.* 2. *pag.* 376. *art.* 2. & 3. Ne oblivioni tradatur *nov. addit. hisp. verb. in fin.* Patrimonium, ibique remiſſive multa invenies.)

CON-

---

mendicare, ſeu negotiis ſecularibus ſe immiſcere, propter congruæ defectum, in ſacris conſtituti cogerentur, tamquam actiones eorum ſtatui minus congruentes; hac quoque de cauſa D. D. Carolus II. & Philippus V. gratum acceptumque tulit, antequam inita eſſet concordia, quod à Sanctitate D. Innocentii XII. fuiſſet publicari mandatum, ne impoſterum beneficiis curatis, etiamſi patronatus fuerint laicorum, penſiones imponerentur (1).

✠ Auctor in quæſtionem deducit adverſus quos, ſi parochiarum redditus interitum, aut diminutionem ſint paſſi, agere pro congrua, ejuſve ſupplemento queat parochus ¿ an adverſum decimas, ſeu parochiæ alia bona poſſidentes? Non diſſentit à communi affirmativa reſponſio; at vero, cum beneficia quæcumque ſimplicia natura ſua ad parochiarum reverſionem, caſu in quo iſtæ careant decenti ſuſtentatione, ſint ſubjecta; nihil demirandum, quod priuſquam ad ſubſidiarium remedium, *hoc eſt*, ad aſſignationem in primitiis, & decimis deveniatur, inſpiciatur præventum, illorum eſſe unionem faciendam, in ea parochia exiſtentium; ſin minus omnes decimarum participes, eccleſiaſtici, ſive ſeculares, ab earum contributione pro rata non liberantur, per conſequens neutri poterunt in ſolidum conveniri (2).

tulo de ellas, no pueden vivir con la decencia correspondiente á su estado, y del que nace, se mezclen á tratos y exercicios menos decorosos; para atajar estos inconvenientes parece al Consejo que me sirva interponer con su Santidad para que expida Breve á todos los Obispos, á fin de que en su diócesis puedan unir las capellanías, asi de ordinaria colacion, como de patronato, hasta que componga de dos ó mas capellanias congrua competente, la qual debe quedar al arbitrio de los Ordinarios, señalando en cada diócesis la que pareciere competente, asi para la sustentacion, como para poder vivir el eclesiástico honesta y decentemente, pues segun la variedad de las provincias que componen estos reynos, no puede ser igual la congrua en todas partes, y que lo mismo executen en las capellanías que fueren de la jurisdiccion de los Abades, y otros exêntos, que estuvieren dentro del territorio de su diócesis:: Vide *verb.* Bona. *Ord. Circul. Regiæ Cameræ* 12. *Junii* 1769. §. 1. & 3. *lit.* D. *p.* 73. *perlege totum.*

(1) *Auct. Acord.* 3. *tit.* 3. *lib.* 1. Me he conformado con la consulta del Consejo; y mando que por medio del Embaxador:: se agradezca á la Santidad del Señor Inocencio XII. el haber mandado publicar en la Dataría, que á los beneficios curados de España, aunque sean de Patronato de legos, no se pueda cargar pension alguna:: *Concordat. ann.* 1737. §. 14. Que en consideracion á el presente Concordato, y en atencion tambien á que regularmente no son pingües las parroquias de España, vendrá su Santidad en no imponer pensiones sobre ellas::

(2) *Præcit. Ord. Circul.* §. 8. Como la congrua de los párrocos es el fin mas recomendable, y una justísima causa para unir los beneficios simples que sean necesarios para su decencia, como se previéne en el *capit.* 5. *sess.* 21. *del Tridentino*, conforme á otras decisiones, porque como inmediatos pastores, á cuyo cargo está la cura de almas, fundan derecho para la percepcion de los diezmos con que contribuyen los fieles en retribucion del pasto espiritual, de modo que en perjuicio de su congrua no deben subsistir las reparaciones y desmembraciones hechas para erigir diferentes beneficios, que estan sujetos á la reversion siempre que el Cura no tenga sustentacion decente, encarga á V. la Cámara, que atendiendo con preferencia á los curatos de corto valor, uniéndoles el beneficio ó beneficios que sean necesarios, no solo para el preciso alimento de sus poseedores, sino tambien para una dotacion competente, que sea remuneracion de lo penoso de su oficio, y en que puedan tener algun recurso en sus indigencias los parroquianos pobres; ó si por falta de beneficios no pudiere proveer de remedio oportuno en esta forma, asigne V. á los Párrocos la parte de primicias, ó diezmos que fuere necesaria, conforme al mismo Concilio en el *cap.* 3. *de la sess.* 24. en cuyo caso estarán obligados á contribuir prorata todos los interesados y participes:: Vide *verb.* Bona, & *verb.* Parochus.

CONJUGES, CONJUGIUM.

SUMMARIUM.

1 *Conjuges qui dicantur; & matrimonium cur vocetur conjugium*, ad num. 2.

3 *Uſquequo, nondum conſummato matrimonio, uterque conjux poſſit ad religionem tranſire*, ad num. 7.

8 *Poſt terminum vero elapſum an teneatur conjux debitum alteri reddere; & ſi religionem ingrediatur ante conſummatum matrimonium, quid faciendum*, ad num. 11.

12 *Et quid, ſi matrimonio jam conſummato*, ad n. 13.

14 *Quos pariat effectus votum caſtitatis in conjugio.*

15 *Quo caſu, & quibus expletis conditionibus poſſit unus conjux cum conſenſu alterius poſt conſummatum matrimonium ad religionem tranſire*, ad numer. 21.

22 *Quid, ſi unus religionem ingrediatur, alteri conjugum incumbat; utrum ille unquam à religione revocari, & iſte ad religionem compelli poſſit; & quæ Epiſcopi inter utrumque ſint aliquando facultates, & partes*, ad num. 25.

26 *Quid juris competat conjugi innocenti adverſus adulterum*, ad num. 34.

35 *Et quid juris tribuat conjugi fideli adulterium ſpirituale alterius conjugis; & quænam ſit eccleſiæ catholicæ doctrina & praxis circa matrimonia cum hæreticis, prolis exinde procreatæ inſtitutionem, & reliqua*, ad num. 55.

56 *Quæ requirantur, ut conjugatus valeat promoveri ad ordines ſacros*, ad num. 60.

61 *Conjugatus quomodo poſſit, vivente uxore, Epiſcopus ordinari, ac ad Cardinalatum & Papatum quoque exaltari*, ad num. 63.

64 *An vero poſſit etiam ad Papatum evectus ab uxore ad conſortium, & debitum conjugale revocari; & quid poſtea*, ad num. 67.

68 *Quando conjugatus, ſacris ordinibus jam ſuſceptis, poſſit ab uxore ad conſortium conjugale revocari; & quando ipſa uxor poſt ejus mortem poſſit aliud matrimonium contrahere, & quando non*, ad n. 70.

71 *Conjugatus ſine ſpontanea uxoris licentia ad ſacrum ordinem tranſiens quas pœnas incurrat; & quid, maxime non adhuc conſummato matrimonio, facere teneatur*, ad num. 72.

73 *Utrum unus conjux agnita invaliditate matrimonii debitum petere, vel reddere poſſit.*

74 *Quoad debitum conjugale, & divortium, Lectores alibi remittuntur*, ad num. 76.

77 *An opus conjugii ob ſolam voluptatem peractum, delectatio moroſa in actu, vel de actu conjugii, tactus, amplexus, & ſimilia, ſint unquam peccata lethalia, & quomodo*, ad num. 81.

82 *Quoad donationes inter conjuges, bona conjugum, ſubventiones ratione conjugii, proprietatem & jus dotium, & alia, Lectores remittuntur alibi*, ad numer. 86.

87 *Subnectuntur additiones ex aliena manu*, ad numer. 106.

1 Conjuges dicuntur mas, & fœmina in legitimo matrimonio conjuncti. *Communis.*

2 Matrimonium vocatur conjugium à conjungendo ſub uno mutuo jugo, quia virum & mulierem ſub uno eodemque quaſi mutuo jugo ad ſervandam fidem, & onera matrimonii ſuſtinenda conſtituit; Catechiſmus romanus *de matrimonio cap.* 1.

3 Poſt contractum, & nondum conſummatum matrimonium habent uterque conjux bimeſtre ad deliberandum, an in conjugio manere, vel ad religionem tranſire velit: *Communis, textu expreſſo in cap.* Ex publico 1. *de con-*
4 *verſione conjugatorum.* Intra dictum bimeſtre uterque conjux licite petit, & licite etiam negat debitum conjugale: *Communis, arg. cit. cap.* Ex publico: Uterque enim poteſt libere, & licite uti jure ſibi à lege *in dict. capit.* Ex publico conceſſo.

Si intra dictum bimeſtre à Jure conceſſum vir ab 5
uxore invita copulam vi obtineat, poteſt uxor adhuc ingredi religionem, ſaltem in caſu, quo ipſa viro vim inferre nitenti excipiendo manifeſtaverit ſe velle ingredi religionem, aut circa hoc nondum plene deliberaſſe; Glos. *in cap. ult. verb.* Invitus *diſt.* 55. Abbas *in c.* Verum *num.* 9. *de converſ. conjugatorum*; Joann. Andreas *in cap.* Quæ contra Jus 64. *num.* 6. *de regul. Jur. in* 6. Fagnan. *in cit. cap.* Ex publico 7. *num.* 27. *de converſione conjugatorum*, Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſput.* 22. *num.* 6. La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *num.* 421. cum aliis ibi citatis, Pirhing. *lib.* 3. *decret. tit.* 31. *num.* 56. Reiff. *ibid. num.* cum communiori, & probabiliori aliorum contra Zoeſium, Armillam, Silveſtrum, & nonnullos alios; & ratio noſtra eſt, quia ſine culpa nemo debet ſuo Jure privari, *cap.* Diſcretionem 6. *ad fin. de eo, qui cognovit*: Rem enim, quæ culpa caret, damnum vocari non convenit; *cap.* Cognoſcentes 2. *de conſtitutionibus*: Neque debet quis alterius odio prægravari; *cap.* Non debet 22. *de regul. Juris in* 6. & *leg.* Non debet 74. *ff. de regul. Juris*, cum peccata ſuos debeant tenere Auctores; *leg.* Sancimus 22. *cod. de pœnis, cap.* Quæſivit 7. *de his quæ fiunt à majori parte capituli*, adeoque tale indultum mulieri à Jure beneficium non ipſi diſſentienti auferendum; *cap.* Indultum 17. *de regul. Juris in* 6. tum quia talis maritus injuriam infert uxori, & inique agit; *citat. cap.* Ex publico 7. *de converſione conjugatorum.* Nemo autem ex ſua malitia debet commodum reportare, nec ex ſuo delicto meliorem ſuam conditionem quis facere poteſt; *leg.* Non fraudantur 134. *ff. de regul. Jur. cap.* Intelleximus 7. *de Judiciis*, cum ſimilibus.

Si ultra bimeſtre maneant conjuges ſine conſumma- 6
tione matrimonii, poteſt uterque, etiam altero invito, religionem ingredi: Poſt matrimonium enim ratum, & nondum conſummatum ſemper, etiam poſt viginti, & plures annos, licitum eſt cuivis conjugum, etiam altero invito, religionem intrare: *Communis, textu expreſſo in cit. cap.* Verum 2. *de converſione conjugatorum*, ibi: "Verum poſt conſenſum legitimum de præſenti licitum „eſt alteri, altero etiam repugnante, eligere monaſterium „(ſicut Sancti quidem de nuptiis vocati fuerunt) dummo„do carnalis commixtio non intervenerit, addita ibidem „ratione: Quia cum non fuiſſent una caro ſimul effecti, „ſatis poteſt unus ad Deum tranſire, & alter in ſeculo „remanere." Et concordat *cit. cap.* Ex publico 7. *eodem*, ubi, ut obſervat Pirhing. *loc. cit. num.* 34. Mulier illa, cui poteſtas tranſeundi ad religionem datur, jam diu ante matrimonium contraxerat. Immo ſi ultra bimeſtre ma- 7
neant conjuges ſine conſummatione matrimonii, poſſunt libere ad religionem tranſire, etiamſi illicite negaſſent ſibi debitum. Sic expreſſe La Croix *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 419. cum Sanchez, Layman, Gobat ibi citatis, & concordat Gloſs. *in citat. cap.* Ex publico, *verb.* Infra duorum, Pirhing. *loc. cit. num.* 54. & alii.

Poſt dictum bimeſtre tenetur conjux debitum reddere 8
alteri, & ad id compelli poteſt etiam ſub pœna excommunicationis, ſi religionem non ingrediatur, quam excommunicationem re ipſa incurret, ſi intra tempus ſibi à Judice præfixum non pareat, *Communis, per text. in cit. cap.* Ex publico, & Glos. *ibid. verb.* Infra duorum:: Et ſi etiam poſt illud tempus elapſum conjux ingrediatur 9
religionem, revocari non debet, valetque profeſſio, & poſt ingreſſum abſolvendus eſt ab excommunicatione; Gloſs. *in cit. cap.* Ex publico, *verb.* Intra duorum:: Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 24. *num.* 28. Pirhing. *loc. cit. num.* 54. & alii. Per ſolemnem enim religionis pro- 10
feſſionem diſolvitur in quocumque tempore quoad vinculum matrimonium ratum, & nondum conſummatum; *cap.* Verum 2. *cap.* Ex publico 7. *cap.* Ex parte 14. *de converſione conjugatorum*, & expreſſa Concil. Trident. *ſeſſ.* 24. *de ſacrament. matrim. canon.* 6. ibi: "Si quis „dixerit, matrimonium ratum, non conſummatum, per „ſolemnem religionis profeſſionem alterius conjugum „non dirimi, anathema ſit.

Unde ſi unus conjugum religionem ingrediatur, & 11

in